



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Posteriores Libros Septem De Habituali Gratia, Sanctificatione
Hominis, Ac Merito

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

Cap. XI. Vtrum actus, quiest vltima despositio ad gratiam habitualement, sit
effectus eiusdem gratiæ, ab aliquo, scilicet, habitu infuso elicitus, &
affirmans sententia proponitur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94104)

dimittuntur peccata, & similia sumuntur ex Ambrosio, Gregor. & Bernardo, & Staplet. supra notat. Quamvis etiam potuerit, ut etiam ex affectu gratitudinis propter vocationem, & affectum fidei, & amoris, quem erga Christum, in se sentiebat, ad ipsum ierit; unde etiam in fervore amoris in decursu temporis, & actibus penitentiae crevisse, & plenioris remissionem, si fortasse in primo momento quoad omnes peccatorum reliquias data non fuit, obtinuisse. Loquendo ergo de tali remissione, & cum talibus circumstantiis, verissime dixit Christum, cui multum remittitur, multum diligere.

Optima
conjectura.

17.
Secunda
partire-
spondetur.

Simili modo respondendum est ad secundam partem illius objectionis, quæ sumpta est ex verbis illis, Cui minus remissum est, minus diligit. Vbi in primis advertendum est, locutiones illas, Cui plus dimittitur, plus diligit, cui vero minus dimittitur, minus diligit, in sensu potentiali potius quam actuali (ut sic dicam) accipiendas esse, ut perpetuam habeant veritatem. Quod non minus in amore gratitudinis, quam in amore antecedente remissionem debiti accipiendum est: non enim semper cui minus debitum remissum est, minus diligit, sed sæpe magis gratum, & benevolum se ostendit, & e converso. Et ratio est clara, quia pendet hoc ex libertate operantis, & ex alijs causis, quæ possunt magis excitare voluntatem ad amorem, etiam si motuum remissionis debiti minus sit. Igitur illa verba non tam significant quod sit, quam quod fieri debet, vel quod ex vi talis causæ sit. Et ita cui minus remittitur, quantum est ex vi illius motui, minus cogitur diligere, seu minus inducitur, aut obligatur, quamvis aliunde augeri possit, vel etiam debeat amor, ut Augustinus in dicta hom. 23. consideravit. Idemque erit, etiam si de amore antecedente verba illa parabole intelligantur: nam maior amor creditori exhibitus de se inducit ad maius debitum remittendum; sæpe autem fieri potest, ut in re non fiat maior remissio magis diligenter, vel quia de facto non habet maius debitum, vel quia creditor pro sua libertate non vult illud totum remittere. Hoc autem posterius habet locum in hominibus, non autem in remissione peccatorum, de qua Deus iam certam legem statuit, quam non immutat. Hinc ergo facilis est responsio ad objectionem: nam quod aliquis per maiorem dilectionem minorem remissionem consequatur, quia non plus debet, per accidens est, unde veritatis sermonis Christi in sensu explicato nihil obstat, & in amore gratitudinis idem inveniri potest, ut explicavi.

In forma
placito ap-
plicatur.

18.
3 pars ob-
jectionis dis-
solvitur.

Ad tertiam partem objectionis concedo, non fuisse primum Christum institutum docere Phariseum, an remitterentur peccata per amorem, nihilominus tamen discursu ipso, & rerum consequentia quasi id asseruisse. Nam quia Phariseus mulierem contemnebat ut peccatricem, & Christum accusabat, quod illam se tangere permitteret, principaliter voluit ostendere illam fuisse eo tempore a peccatis immunem, ad hoc autem comprobandum ostendit, illam multum dilexisse, & inde concludit, per amorem peccatorum veniam obtinuisse. Addo insuper multo minus verisimile esse, institutum Christi fuisse, Magdalenam ex gratitudine dilexisse multum propter remissionem peccatorum sibi factam, tum propter dicta, tum etiam quia verisimile non est de hoc cogitasse Magdalenam, aut definito assensu, atque iudicio credidisse sibi peccata fuisse remissa, quia neque revelationem habebat, neque occasione cogitandi de remissione peccatorum sibi iam data, sed de desideranda, & speranda. Unde & illam obtineret, vel de illa securior fieret, actus humilitatis, penitentiae, & amoris exercebat. Unde Augustinus dicta homil. 23. capite 1. Noverat, inquit, quanto morbo laboraret, & illum ad sanandum esse idoneum ad quem venerat sciebat, &c. 4. Peccatrix illa mulier quanto plus debebat, tanto dimissorem debitorum suorum amplius diligebat. Et infra, Quare autem diligebat multum, nisi quia debebat multum. Et capite 7.

Pars 3.

Quare fecit illa omnia, nisi ut sibi dimitterentur peccata; ergo fallum est Christi institutum fuisse gratitudinem illius mulieris commendare, sed perfectam, & magnam conversionem ad Deum, per quam iustificata est, & plenam remissionem consecuta. Concludimus ergo, Christum, dicendo. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, proximam, & veram causam remissionis peccatorum ex parte illius mulieris assignasse, cumque illa causa non possit esse, nisi dispositiva saltem respectu culpæ, inde optime colligi, contritionem perfectam esse veram causam per modum dispositionis proxime remissionis peccatorum.

Totius
ta-
pau
con-
clusio.

CAPUT XI.

Utrum actus, qui est ultima dispositio ad gratiam habitualem, sit effectus eiusdem gratie, ab aliquo scilicet habitu infuso elicitus, & affirmans sententia proponitur.

Hoc punctum necessarium esse duximus, tum ad præcedentis capitis resolutionem tuendam, tum ad complementum doctrinæ de causis ad iustificationem concurrentibus; tum etiam ad multa, quæ infra de merito tractanda sunt, & ideo diligenter examinandum est. Non habet autem locum hæc questio in dispositionibus remotis; nam cum hæc tempore præcedant, certum est, non posse ab habitibus elici, a quo autem principio effectivæ manent, in libr. 6 declaratum est. Intelligendum autem hoc est de dispositione remota, vel proxima respectivæ in ordine ad formam, respectu cuius talis nuncupatur. Potest enim idem actus esse dispositio remota ad gratiam, & proxima ad aliquem habitum gratiæ, ut actus fidei per se spectat? solitariæ est dispositio remota, vel dimidiata ad gratiam, ut in sequentibus dicemus; si vero sit primus actus fidei, erit dispositio proxima ad habitum fidei, & idem est cum proportionem de actu spei in his ergo habebit locum questio præsens respectu habitus, ad quem unusquisque actus disponit, non vero respectu sanctificantis gratiæ, ut declaratum est. Deinde non habet locum questio in primo actu, qui non sit dispositio præparans, nec causam habitus. Nam de illo per se notum est, posse fieri ab habitu, siue habitus tempore præcedat, ut in parvulo baptizato, cum ad usum rationis pervenit, siue simul incipiat, ut in anima Christi Domini contigit. Et ratio est clara, quia hæc actio in instanti perficitur, & ideo potest fieri ab habitu, cum primum est, vel operari incipit, si alioqui non supponitur, ut causa habitus, saltem dispositiva. Tota ergo difficultas est de primo actu disponente ad habitum.

Huius
cap.
necessitas.

Non est
sermo
de re-
motis
dispo-
sitionibus.

Non agitur
de actu qui
non est dis-
positio.

Et ita est in hoc puncto prima sententia affirmans, hos actus primos proxime disponentes ad habitum, effectivæ prodire, & elici ab illis. Hæc est communior sententia inter Thomistas 1. 2. q. 113. art. 6. & 8. præsertim Conradi, Caiet. & Medina; Ferrar. 3. cont. gent. c. 153. n. 12. non affirmat tamē definite, sed problematice loquitur, & æquè potest pro utraque parte citari, & in n. 4. potius fauet alteri sententiæ Soto lib. 2. de Natur. & grat. cap. 18. & in 4. d. 14. q. 2. art. 6. d. 8. q. 2. art. 1. d. 17. q. 2. art. 5. Cano. Relect. de Penite. p. 1. §. Ad secundum. Citari etiam solet Sylvest. in Rosa aurea, tractat. 3. quest. 69. in Dominico 2. 4. sed ibi transcribit tantum articulum D. Thomæ, non tamen illum explicat. Vide etiam Franciscum à Christo in 3. dist. 23. quest. 13. Et ex modernis sequuti sunt eandem sententiam Valentia. 2. tomo disp. 8. quest. 3. punct. 4. & quest. 5. punct. 4. §. quarto. Vazquez 1. 2. disp. 211. per totam. Ex antiquis vero tribuitur hæc sententia Alberto Magno in 4. dist. 17. art. 11. Sed licet dicat, in quadam consideratione infusionem gratiæ esse primam in ordine eorum, quæ in iustificatione impij simul tempore fiunt, tamen nec declarat qualis sit illa

2.
Opinio
pri-
ma affir-
mans.

T 2 gratiæ

gratiæ infusio, neque in quo genere causæ sit prior, & indicat esse priorem in genere causæ finalis, nam illam exprimit, & non efficientem. Allegatur etiam Paludanus eadem distinct. 17. quæstione prima, artic. primo. Sed ibi numero 4. fauet contrariæ sententiæ, in numero vero duodecimo, solum conditionaliter loquitur dicens, quod si contritio à gratia elicitur, nunquam potest intelligi informis, postea vero similiter dicit, sub conditione contraria posse prius esse informem, & postea formatam. Denique tribuitur Maiori in 3. d. 18. q. 2. ante medium, & Henric. quodlibet 1. q. 32. circa finem.

3. Ad suadendam hanc sententiam inducuntur imprimis quedam Scripturæ testimonia, ut est illud 1. Ioan. 4. *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Diligit autem nos Deus infundendo nobis habitualem gratiam; ergo prius saltem natura infunditur nobis hæc gratia, quam Deum diligamus; ergo est principium efficiens in nobis amorem Dei. Item illud ad Galatas quinto. *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur,* dilectio autem, quæ disponimur ad gratiam, multum valet; ergo illam operatur fides per charitatem habitualem. De qua etiam intelligunt illud Ioann. 15. *Siquis in me non manserit, utique per gratiam habitualem, mittetur foras sicut palme, & arefcet,* quia sine illa non potest facere opus vitæ, quale est actus charitatis. Et ad hunc modum alia profertur.

4. Secundo allegantur canones Concilij Arauscani in 4. & 6. dicitur, voluntatis præparationem, & dilectionem Dei fieri in nobis per infusionem Spiritus Sancti, quæ infusio est eadem cum infusione gratiæ, & illa particula, *per*, causam efficientem indicat. Additur cap. 25. ubi dicit Concilium dilectionem Dei esse donum Dei. *Quia ipse dedit nobis, ut eum diligereamus, qui charitatem diffudit in cordibus nostris.* Denique in lucitur canon. 18. quia prima dilectio Dei, vel contritio alicuius meriti est, vel de congruo remissionis peccatorum, vel de condigno ipsius gloriæ; omnis autem actus meritorius est à gratia; dicit enim dictum Concilium canon. 18. *Debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia præcedit, ut fiant:* ergo præcedit ut causa efficiens, nulla enim alia ratio antecessoris cogitari potest. Tercio allegantur Patres, Augustinus præcipue dicens, tractat. 75. in Ioann. *Quomodo diligimus, ut Spiritum Sanctum accipiamus, quem nisi cupimus diligere non valeamus.* Et libro de Spirit. & liter. capite 3. 8. & nono, quia dicit, non posse nos diligere, & implere iustitiam, nisi prius sanemur, & in Man. capite vigesimo, dicens. *Amat Deus, ut ametur. Cum amat nihil aliud vult, quam amari.* Amat autem Deus infundendo gratiam; ergo præcedit in nobis gratia nostrum amorem erga Deum. Vnde Gregorius homilia 30. in Euangel. dixit. *Qui mente integra Deum desiderat, profecto iam habet, quem amat: neque enim quisquam posset Deum diligere, si eum, quem diligit, non haberet.* Deus autem à iustis per gratiam habitualem habetur: ergo ab illa procedit semper similis actus. Denique allegatur Divus Thomas multis in locis, tamen quia in eius auctoritate hæc sententia præcipue nititur, in cap. 14. illius mentem expendemus.

5. Rationes afferuntur plures. Prima sit, quia habitus infusus necessarius est ad efficiendum actum contritionis, dilectionis, &c. per modum potentiæ vitalis, sine qua impossibile est, actum elici; ergo Deus prius infundit habitum gratiæ, quam homo actum contritionis efficiat, quia omne agens prius inducit in passum formam, per quam debet operari, quam ei operationem tribuat. Secunda, quia impossibile est, voluntatem elicere actum supernaturalem sine interno principio sibi inhaerente, sed hoc non potest esse nisi habitus infusus: ergo, quia si proxima dispositio ad gratiam non esset effectivè à gratia, non esset meritoria de condigno primæ gloriæ;

consequens est falsum: ergo. Sequela probatur, quia nullus actus potest esse meritorius de condigno, nisi à gratia habituali eliciatur, quia gratia habitualis est merendi principium, teste D. Thoma prima parte, quæstione 62. artic. secundo, ad tertium. Minor item probatur, quia aliàs posset aliquis adultus iustificatus extra sacramentum consequi gloriam sine merito gloriæ. Hoc autem (ait quidam) est plus quam falsum, quia Concilium Tridentinum sess. 6. canon. 32. dicit, hominem iustificatum per bona opera mereri gloriam, & ipsum gloriæ augmentum. Quarta ratio esse potest quia ex hac efficientia habitus nullum incommodum sequitur, & alias est modus agendi magis conaturalis, & ideo non est negandus. Maior probatur, quia si aliquid timeretur inconueniens, vel esset, quod determinando potentiam ad actum per infusionem habitus, tolleretur libertas, vel esset quod pugnaret cum ratione dispositionis: neutrum autem sequitur, ergo. Probatur prior pars minoris, quia sicut Deus confert præuenientem gratiam congruam sine læsione libertatis, quia infundit, quando prævidet, potentiam esse operaturam, ita potest infundere habitum de se quidem indifferenter inclinantem, infallibiliter autem operaturum secundum conditionatam præsentiam. Altera vero pars probatur, quia non repugnat habitum infusum elicere actum, qui sit proxima dispositio ad ipsum: ergo de facto elicit. Consequentia probatur, quia hicordo, quod actus eliciatur ab habitu, saltem est maxime conaturalis: ergo sine dubio illum servat Deus, si potest simul cum causalitate dispositionis considerare. Antecedens ergo probatur ex principio philosophico, quod causæ sunt sibi inuicem causæ, & sic pos sunt forma, & calor ignis esse mutuo inter se causæ, ita ut calor sit prior in genere causæ materialis, & posterior in genere causæ efficientis, ac proinde calor sit dispositio ad formam, & forma sit principium efficiens ipsum calorem. Quod in terminis videtur affirmare D. Thomas 3. parte quæstione 7. articulo 13. ad 2. Est etiam aliud vulgare exemplum, quia apertio fenestæ clausæ præcedit, ut necessaria dispositio ad ingressum venti, & nihilominus ventus ipse effectivè aperit fenestram, & ita ingressus eius est natura prior. Ita ergo in presenti auctores dicti philosophantur, quia gratia habitualis ingreditur animam, illam impellit effectivè, cum illa efficiendo contritionem, & nihilominus ipsa contritio est dispositio præcedens ordine naturæ ipsius gratiæ habitualis ingressum. Tertium exemplum esse solet de materia, & forma, quæ in suis generibus sunt sibi inuicem causæ, & consequenter inuicem prius, & posteriorius in eisdem generibus causarum.

CAPVT XII.

Ultimam dispositionem ad habitualem gratiam non fieri ab habitualitate præbatur.

Nihilominus assero, actum illum supernaturalem, quo proxime disponitur peccator ad infusionem gratiæ habitualis, non procedere effectivè ab habituali gratia, seu (quod idem est) non elici à potentia mediante habitu infuso, sed mediante aliquo alio auxilio, seu adiuuante gratia. Hæc fuit communis sententia antiquorum Theologorum Bonaventuræ in 4. dist. 17. 1. p. distinctionis artic. 2. q. 2. maxime ad 1. & ibi Durand. quæst. 1. & in 2. d. 28. quæst. 5. dicit omnes in hoc convenire, quod præparatio ad gratiam non requirit aliquod donum habituale. Idem Henric. quod d. 5. quæst. 23. idem sentit Palud. in 4. d. 14. q. 3. concl. 2. quem vide, tenet ibidem Richard. artic. 6. q. 1. sumitur ex Scot. q. 2. artic. 2. Gab. quæst. 2. artic. 1. Docet expresse, & de mente S. Thomæ, Capre. ibi. quæst. 3. ad